burg bringen kann, ohne Ursache zu Meldt,
die gute sach zu befürdern gethan; wan nur
vor diesem Ihro K. M. zu Böhem höchstlöbl.
gedächt. unterthl. geschehene danebst Zuschrift
bereits, Ich habe Ew. Churfürstl. Dhl. mich
also dero unterthänigst gehors. diener, der
nur etwas zuthun vermöchte, gnädigst zu
commandiren.

Salutem Plurimam in Domino. 262.

Tardius iterū Reverendi Viri et Fratres, vestris communibus litteris 21 Julii, et privatis Clarissimi Domini Tossani 26 superioris mensis, datis, rescribo, quàm et vestra necessitas et meū officiū à me postulasset, si à mea voluntate et facultate sola, aequissima et piissima petitionis vestrae expeditio dependisset. Collecta illa Bernensis Argentinam, ante praeteritas istius urbis nundinas in paratâ pecuniâ, trajecta fuit; sed intervenit ex una parte difficultas circa distributionis modum ad quam tollendum opus fuit deliberare inter absentes et satis longè dissitos: Accesserunt insuper eorum quibus distribuendi munus concreditū, varii morbi, quibus convenientes ad deliberandū necessarii fuerunt impediti, sic ut hactenus penitū illud negotium executioni dari nequiverit; nulla, ut ipsi facilè judicaveritis, nostrâ culpa, sed ipsius negotii difficultate; quae in hujus Bernensis collectae distributione tanto est major, quanto haec caeteris particularibus est grandior. Nam haec ad universos inferioris Palatinatus egenos sive Ministros, sive eorū viduas et orphanos destinata est, cùm caetera ad particulares tantum dioeceses quasdam pertinerent. In qua deliberatione ante omnia hoc actū, ut omnis quantum in nobis esset, contentionis occasio collectae hujus consortibus auferretur: quod alio consilio nos non potuisse efficere existimavimus, quàm si ejus distributio in ordine

ā distributoribus redacta, antē ipsis Magistratibus et Eccl̃ae ministris, quorū benignitate consilio et voluntate collecta facta, approbanda exhiberent, quam ad realem istarū pecuniarū distribuōem accederent, ut sic oīa ordine decorē et justē fierent. Atq. haec tantarum morarū sunt causa, q̃ favente Dei benignitate, brevi amputabunt. Nunc enim nihil superē aliud quam ut Magistratus et Ministerii Authoritate, distributionis jam factae formula comprobet: quam approbationem mox subsecuturam esse ipsam distributionem, omninō confido. Interea scitote, et Ministerii et populi Francothalensis in hujus collectae distributione pro modulo ejusdem, rationem honestam habitam esse, ut paulō post re ipsā experiemini. Utinā vel ego, vel reliq cooperatores in hoc tām pio negotio Bonorū expectationi, secundum egestatis atq. inopiae magnitudinem, majoribus auxiliis satisfacere possemus, ejusdem ā nb. et assidua nra sollicitudine non staret: Sicuti qq. non desinemus omnem movere lapidem ad majus auxilium egenis Inferioris Palatinatus procurandum: Interea ō ubi re forte fuerit, Ecclesiis Anglicanis denuō non vestram, aut vrae Eccl̃ae tantūm, verum omnium Palatinarum Ecclarum necessitatem piā et gravi aliquā Epistola exponere primo qq. tempore. Nam magnam spem apud me concipio, ejusmodi preces vras non infrugiferas futuras. Ego jam aliquam extremae necessitatis vestrae mentionem apud legatos nros feci, q nunc publicorum negotiorum causa in Anglia sunt. Haec sunt Reverendi viri et Fratres, quorum vos ad collectae Bernensis retardatam distributionem expectandam, certiores faciendos esse duxi, omnem de coetero exhibiturus operam, ut distributio illa mox perficiatur

perficiat. Deus vos omnes et singulos Spiritu sui gratia soletur, et in fide et Christiana patientia obfirmet; Bene Valete 24 7br. 1625. Basileae.

A Messieurs
Messieurs les Pasteurs de l'eglise Christiane à Franckenthal.

Vrae sti
omni studio et officio addictissimus
P. Brederodius

263.

S. P.

Honorandi et Charissimi Fratres in Christo.

Quas 20 superioris mensis Franckothalio ad me literas dedistis, ante decem et amplius dies fideliter mihi redditae fuerunt. Ex iisdem libens agnovi, meam & Collectarum in usum Egenorum Palatinatus quaerendarum solicitudinem Vobis gratam esse: Nec est quod de ulla remuneratione soliciti sitis. Scopus enim meus in eo supremus est, Egenis Christi membris & virili mea opem ferre. Hoc si assecutus fuero, nihil ultra peto. Literis vestris acceptis, confestim ad ministerium Bernense scripsi, ut non solum distributionis prioris partis collectae Inclytae Reip. Bernensis, formam mihi à distributoribus transmissam per Senatum Illius Reipublicae primo quoque tempore approbavi, sed et alteram collectae partem ad Distributores transmitti, curare velint: Et certo scio, à Venerando Bernensis Coetus Ministerio non stetisse, quo minus mox à literis meis acceptis, approbatio illa, et reliquum Collectae missum fuerit: Verum incidit nostra instantia circa vindemiarum occupationes: quibus durantibus plerique Senatorum primorum Illius Reip. ad eam colligendam septimanas quinque vel sex, ad decem et plura milliaria ab urbe absunt; Quorum reditus necessario fuit expectandus, antequam in alterutro aliquid statui potuerit. Recentissimis autem Dni Veirasii Reg. Boh. Secretarii literis certior jam factus fui, Senatorum illorum majorem partem domum reversam, eorumque approbationem et reliqui transjectionem mox subsecuturam: Itaque vos et alios bonos